

inhærentem de novo acquisitam, & per consequens per relationem acquirit novum esse reale distinctum à fundamento.

§. XIII. Verùm Resp. negando majorem, non enim omnis denominatio nova requirit novam formam intrinsecam; eùm etiam propter aliquod extrinsecum res novam denominationem accipere possit, quæ propterea non statim extrinseca denominatio vocanda est. Hoc ut intelligatur, sciendum est, quòd ab una & eadem re aliquid possit diversimodè denominari, quatenus illa res consideratur in ordine ad diversa connotata e. g. attributa divina inter alia distinguuntur in absoluta & relativa: licet verò hæc attributa à parte rei non differant; de Deo tamen non eodem modo prædicantur; nam à relativis Deus non potest denominari, nisi essentia divina referatur ad aliud nempe creaturas: Deus tamen propterea non accipit formam inhærentem de novo acquisitam. Ita etiam se res habet hoc loco. Nam à fundamento cuiusdam relationis e. g. ab albedine potest aliquid dupliciter denominari 1. album. 2. simile. Sed posteriorem denominationem subjectum albedinis non accipit, nisi existat connotatum illud, cujus respectu ab albedine aliquid dicitur simile: est enim hæc denominatio relativa. Et ita manifestum est, quòd nova illa denominatio non requirat formam inhærentem de novo acquisitam, ceu vult Ruvio: sed requirit tantùm extrinsecum connotatum, sine quo ab una & eadem re (e. g. albedine) aliquid diversimodè denominari nequit. Quod si quis igitur quærat, à quonam homo denominetur pater, album simile? &c. respondeamus à fundamento relationis quatenus ad aliud sub ratione termini refertur. Et sic procedit denominatio relativa ab aliqua formâ intrinsecâ cum connotatione extrinseci.

§. XIV. Dicis: quicquid nemine cogitante est respectivum quid, illud differt realiter ab eo quod nemine cogitante est absolutum. Sed relatio realis nemine cogitante est respectivum quid. Ergò differt realiter ab eo quod nemine cogitante est absolutum sc. à fundamento. Resp. negatur major. Nam una & eadem res potest simul esse respectivum & absolutum quid citra mentis operationem, diverso tamen respectu: E. g. Deus nemine cogitante est ens absolutum, & nemine cogitante est creator, creato-